

[II p 3]

HIIS IGITUR VERBIS¹ prosa tertia libri secundi¹ in qua
 docet Philosophia Boecium non debere conqueri de Fortuna quia
 multa ei bona contulit. Et circa hoc duo facit. Primo enim
 inquirat quid Boecius de dictis Fortune sentiat. Secundo bona
 Fortune sibi collata enumerat ibi (14) VERUMPTAMEN. Circa
 primum tria facit. Primo enim Philosophia Boecium prouocat ad
 insinuandum quid de dictis Fortune sentiat dicens (1) IGITUR SI
 FORTUNA HIIS VERBIS PRO SE TECUM LOQUERETUR PROPECTO NON HABERES
 QUID CONTRA HISCERES id est non haberes unde aperires os ad
 respondendum. Hisco uerbum inchoatiuum ab hyo et dicitur hysco
 per sincopam cum rariter deberet dici hiasco ad uitandum hyatum.
 Unde hyscere est hyatum inchoare sicut facit homo quando aperit
 os. Continuacio: ita dixi quod (2) NON HABERES QUID CONTRAHISCERES,
 AUT, SI HABERES, QUID EST QUO QUERELAM TUAM IURE TUENARIS OPORTET
 PROFERAS. DABIMUS DICENDI LOCUM scilicet concedendo audienciam.
 Secundo cum dicit (4) TUM EGO Boecius quantum motus sit uerbis
 Fortune manifestat² dicens SPECIOSA QUIDEM SUNT ISTA scilicet que
 Fortuna dixit OBLITAQUE id est delinita MELLE DULCEDINIS RETHORICE
 AC MUSICE; TUNC TANTUM OBLECTANT id est animum meum CUM AUDIUNTUR.
 SED SENSUS MALORUM ALCIOR EST MISERIS³ scilicet quam⁴ ista

 1 uerbis prosa tertia libri secundi O uerbis prosa tertia libro
 secundo J uerbis prosa tertia R uerbis P / 2 manifestat RPO
 manifestans J / 3 miseris RPO in miseris J / 4 quam RO quod PJ /

attingere possint: quamuis enim superficialiter me delectent
 tamen ad profunditatem doloris mei non attingunt. Quod patet
 per hoc quod subdit (8) ITAQUE CUM HEC DESIERINT INSONARE
 AURIBUS INSITUS MEROR scilicet cuius⁵ radix nondum extirpata
 est PREGRAVAT ANIMUM. Tercio⁶ cum dicit TUM ILLA⁷ ipsa Philosophia
 ad quantum valeant dicta Fortune determinat dicens (9) ITA EST,
 INQUIT scilicet quod dolorem non curant sed superficialiter
 oblectant HEC ENIM NONDUM SUNT REMEDIA MORBI TUI SED SUNT QUEDAM
 FOMENTA DOLORIS ADHUC CONTUMACIS⁸ ADVERSUS CURACIONEM. NAM QUE
 SESE IN PROFUNDUM PENETRENT scilicet ut ^{causam} ~~curam~~ radicalem tui
 morbi expellant ADMOVEBO⁹ CUM FUERIT TEMPESTIVUM secundum quod
 supra libro primo prosa quinta et sexta promissum est. Deinde
 cum dicit (14) VERUMPTAMEN bona Fortune Boecio collata enumerat
 ostendens non debere eum tamquam miserum de Fortuna conqueri.
 Et circa hoc duo facit. Primo enumerat bona preterita que ipsum
 felicem fecerant, secundo bona que eciam in presenti felicem eum
 ostendunt prosa quarta ibi (1) TUM EGO. Circa primum duo facit.
 Primo suam felicitatem preteritam describit. Secundo quandam
 obieccionem excludit ibi (41) QUODSI¹⁰ ICIRCO. Dicit ergo (14)

 5 scilicet cuius RPO cuius J / 6 tercio RO secundo PJ /
 7 tum illa JR cum illa PO / 8 contumacis RO continuatis P
 continuans J / 9 admouebo O amouebo RPJ / 10 quod si RPO
 quid si J /

^M
 VERUPTAMEN, O BOECI, NE VELIS EXISTIMARE TE MISERUM scilicet
 ut miseriam tuam conquerendo Fortune imputes AN OBLITUS ES
 MODUM NUMERUMQUE TUE FELICITATIS ? quasi diceret si sic reducanturⁿ
~~tibi~~¹¹ ad memoriam ut pateat tibi tua felicitas. Et facit hic
 Philosophia colorem rethoricum qui dicitur preoccupatio de quo
 Tullius libro quarto rethorice secunde sic dicit: occupatio est
 dum dicimus nos preterire aut nescire aut nolle dicere id quod
 tunc maxime dicimus. Philosophia dicit hic (16) TACEO QUOD TE
 DESOLATUM PARENTE¹² CURA SUMMORUM VIRORUM SUSCEPIT DELECTUSQUE
 id est de aliis electus IN AFFINITATEM PRINCIPUM CIVITATIS habuit
 enim uxorem ^{extractam}~~exortam~~¹³ de sanguine principum ciuitatis QUOD
 PRECIOSISSIMUM GENUS PROPINQUITATIS¹⁴ EST PRIUS CARUS QUAM
 PROXIMUS ESSE CEPISTI. Nota: diuersa sunt genera propinquitatis:
 quoddam¹⁵ ex progenie in quo simul aliquis carus est et propinquus
 et hoc genus propinquitatis ^uvocatur consanguinitas.¹⁶ Aliud
 genus propinquitatis contrahitur¹⁶ ex uxore et dicitur affinitas
 et in hoc genere prius est aliquis propinquus quam carus. Tercium

~~11 reducant tibi ad RM vel reducant tibi ad J reducantur ad PPeGOD /~~
 12 parente RPO pente J / 13 exortam RD extractatam P extraxtam J
 extractam PeOM om. G / 14 propinquitatis RPO appropinquitatis J /
 15 quoddam PPeGOMD quedam J quod dea R / 16 consanguinitas ...
 contrahitur om. J alia man. in mg. suppl. /

genus contrahitur ex uirtute et dicitur amicitia quia per uirtutem in amorem coniungitur et hoc est preciosissimum genus propinquitatis et in hoc genere prius est aliquis carus quam propinquus. (20) QUIS NON TE FELICISSIMUM TANTO SPLENDORE SOCERORUM socer dicitur ille cuius filiam duxit. ^aContingit autem filiam carnalem unius esse filiam adoptiuam alterius; unde sicut illa duos habet patres sic et uir eius duos habebit ¹⁷ soceros. Et forte sic erat de Boecio qui duxit filiam Symachi patricii que nichilominus ab alio patre adoptata fuit; propter quod dicit (20) CUM ¹⁸ SPLENDORE SOCERORUM. Non enim ¹⁹ legitur quod Boecius bis uxoraerit ut sic duos soceros habuit. Vel forte socerum appellat non tantum patrem uxoris sed etiam ²⁰ fratrem eo quod tale speciale nomen non habet, ut patet per Isidorum Ethymologiarum libro nono capitulo de coniugiis. ^a(21) CUM CONIUGIS PUDORE CUM OPORTUNITATE PROLIS QUOQUE MASCULE quasi diceret nullus est qui te in hiis non felicissimum iudicet. (22) PRETEREO ²¹ utitur colore quo supra LIBET ENIM PRETERIRE COMMUNIA uocat communia non que passim omnibus conceduntur sed que non tantum Boecio sed etiam quibusdam aliis contigerunt licet raro et specificans que sint illa dicit

^a Cf. IX, vii, 18-20

~~17 habebit PO habebat R habet J /~~ 18 cum splendore JRO tanto splendore P / 19 non enim legitur JO non legitur RP / 20 etiam RPO et J / 21 pretereo PO preterea J postremo R /

Why is
PRAEDICAVIT
omitted?

(23) SUMPTAS DIGNITATES IN ADOLESCENCIA SENIBUS NEGATAS mos erat Romanorum ante triginta annos²² nulli dignitatem aliquam conferre nisi propter aliquam singularem probitatem et rei publice euidentem utilitatem sicut contigit Scipioni qui ante tempus bis consul²³ factus est, ut refert Tullius III libro²⁴ de amicicia. Similiter et Germanicus iuuenis consul factus est, unde quosdam super hoc inuidentes²⁵ reprehendit²⁶ Ouidius²⁷ de arte amandi libro primo dicens

Parcite natales timidi numerare deorum:

Cesaribus uirtus contigit ante diem.

Similiter eciam propter singularem probitatem factum est hoc Boecio

(24) AD SINGULAREM CUMULUM scilicet quia nulli concessum est hoc quod modo dicam nisi tibi VENIRE DELECTAT. (25) SI²⁸ QUIS FRUCTUS id est si qua utilitas uel bonitas RERUM MORTALIUM id est temporalium HABET ULLUM PONDUS BEATITUDINIS id est aliquam partem uel rationem beatitudinis que fecit ponderandam²⁸ POTERITNE MEMORIA ILLIUS LUCIS

a v. 183-184

 22 triginta annos JRO trigesimum annum P / 23 bis consul RPeGMD
 consul bis JO / 24 in libro RPD libro JMO / 25 inuidentes JR
 inuidens PO / 26 reprehendit RPO reprehendens J / 27 ouidius
RPO ouius J / 28 si quis fructus . . . ponderandam (mortalium GPe;
 morum talium J; \habet GPe haberet J; \ullum J illud GPe; \beatitudinis
J scilicet beatitudinis GPe; \fecit ponderandam GPe sunt ponderanda J)
JGPe om. RPMDO /

id est diei QUANTALIBET MOLE INGRUENTIUM MALORUM DELERI CUM
 DUOS LIBEROS id est filios TUOS VIDISTI PROVEHI A DOMO quia
 electi erant in consules SUB FREQUENCIA²⁹ PATRUM SUB ALACRITATE
 PLEBIS CUM EISDEM IN CURIA CURULES INSEMENTIBUS curules selle
 erant in quibus magistratus sedentes³² reddebant, ut dicit Isidorus
 libro 20 Ethymologiarum, capitulo de lecticis et sellis.^a Et
 dicuntur curules a curru quia tali sede utebantur iudices in curru
 quo uehebantur et expedicius populo iudicia redderent. (31) TU
 ORATOR REGIE LAUDIS id est tu talis orator existens ut regia laude
 dignus sis MERUISTI³⁰ GLORIAM INGENII FACUNDIEQUE CUM IN CIRCO
 id est in teatro MEDIUS scilicet insedens DUORUM CONSULUM scilicet
 filiorum tuorum³¹ SACIASTI EXPECTACIONEM CIRCUMFUSE MULTITUDINIS
 TRIUMPHALI LARGICIONE. Nota quod antiquitus apud Romanos consuetudo
 erat in eleccione consulum³² aliquem eloquentem habere sermonem ad
 populum de laudibus³³ regum et eorum qui in magistratu constitue-
 bantur; et si bene dicebat³⁴ maximam inde gloriam consequabatur.³⁵
 Huiusmodi sermonem fecit³⁶ Boecius in eleccione duorum filiorum
 suorum et ita geminata est gloria sua. Quia yero consimilis

a XX xi, 11

29 frequencia PO sequencia ex frequencia (~~sequencia~~) J /

30 meruisti RPO mūsti J / 31 tuorum RPO suorum alia manus corr. J /

32 consulum RPO consulem J / 33 laudibus JO laude RP / 34 dicebat

RPO dicebant J / 35 consequabatur RPO consequabantur J /

36 sermonem fecit RPO fecit sermonem J /

sermo fieri consuevit in triumphis, ideo talis sermo dicebatur triumphalis largicio. Talis eciam sermo fit³⁷ modo³⁸ de bacalariis³⁹ in quacumque facultate magistraturis. (34) DEDISTI UT OPINOR VERBA FORTUNE quasi diceret decepisti eam et est prouerbialis locutio. Quia enim promittens aliquid alicui et non implens uerbum suum decipit dando ei solum uerba et non rem, ideo prouerbialiter ad designandum quod aliquis alium decipit. Dicitur quod dat ei uerba (35) DUM TE ILLA scilicet Fortuna DEMULCEBAT id est sua prosperitate blandiendo DUM TE FOVET UT DELICIAS SUAS. (36) ABSTULISTI MUNUS QUOD NULLI UNQUAM PRIVATO COMMODAVERAT ex quo igitur sic decepisti Fortunam et tot ab ea bona recepisti. (37) VISNE CUM FORTUNA CALCULUM PONERE id est computare? Calculus est paruus lapillus qui calcando non sentitur et quia talibus lapillis utebantur antiqui in computando pro uno solido ponendo lapillum unum pro duobus duos, ideo ponere calculum uel calculare idem est quod computare. Non⁴⁰ debes ergo cum Fortuna computare, quia si ad hoc⁴⁰ ueneris⁴¹ inuenies⁴² te

37 fit RPO dicebat corr. J / 38 modo RPO (in ras. J) /

39 bacalariis RP bakalariis JO / 40 non debes ergo cum fortuna computare quia si adhuc J non debet (d_3) ergo cum fortuna computare quia si ad hoc R si enim ad hoc P non debes igitur cum fortuna computare quia si ad hoc O / 41 ueneris RP uenerit JO / 42 inuenies O inueniens RP(?J) /

multo potius in bonis quam in malis, unde subdit (38) NUNC TE PRIMUM LIVENTI OCULO id est irato quia homines irati liuent oculis PERSTRINXIT quasi diceret per modicam horulam⁴³ facta est tibi aduersa que toto tempore usque nunc fuit tibi prospera propter quod dicit (39) SI NUMERUM MODUMQUE LETORUM TRISTIUMVE⁴⁴ CONSIDERES⁴⁵ ADHUC scilicet sic est quod NON POSSIS NEGARE TE FELICEM cum plus potitus sis letis quam tristibus. Deinde cum dicit (41) QUODSI IDCIRCO excludit quandam obieccionem. Posset enim aliquis obicere dicendo quod hic enumerata licet essent bona, tamen quia transitoria ideo ad felicitatem Fortune non spectant. Hoc excludit duplici ratione secundam ponens ibi (44) AN TU IN HANC. Ratio prima talis est:⁴⁵ si preterita bona non faciunt felicem quia transierunt, cum ergo⁴⁶ presencia mala sint in transeundo non faciunt miserum et infelicem qualem te esse conquereris⁴⁷ et per consequens iniuste. Dicit ergo (41) QUOD SI TE FORTUNATUM id est felicitate fortuita FELICEM ESSE NON ESTIMAS QUONIAM ABIERUNT QUE TUNC VIDEBANTUR LETA NON EST DE QUO TE MISERUM PUTES QUONIAM QUE NUNC MESTA CREDUNTUR PRETEREUNT. Deinde cum dicit (44) AN TU IN HANC ponit secundam rationem que sumitur ex inconstancia rerum mundanarum. Et circa hoc duo facit, primo

 43 horulam J / 44 letorum tristiumue RP letorumue tristium JO /
 45 concideres J / 46 ergo JR igitur RP / 47 conquereris RPO
 conqueris J /

ipsam rationem ponit secundo mundanam inconstanciam pluribus exemplis describit metro tercio ibi CUM POLO PHEBUS. Racio quam innuit potest sic formari: nichil est querendum in felicitate⁴⁸ fortuita quod in⁴⁹ rebus humanis non inuenitur;⁴⁹ sed stabilitas et constancia in rebus humanis non inuenitur. Ergo in felicitate fortuita hec non est querenda. Ex hoc ergo quod fortuita⁵⁰ transeunt non debet se aliquis⁵¹ reputare miserum. Huius rationis tantum ponit minorem cum sua declaracione dicens (44) AN TU o Boeci IN HANC VITE SCENAM id est habitacionem transitoriam. Scenos enim tabernaculum significat quod transitorium est, unde scenophegia dedicacionem tabernaculorum significat. (45) NUNC PRIMUM SUBITUS id est inprouisus HOSPES VENISTI ut scilicet sic ignorare debeas que in ista uita geruntur UT⁵² pro uel⁵² RERIS id est opinaris ULLAM CONSTANCIAM INESSE HUMANIS REBUS CUM IPSUM HOMINEM SEPE DISSOLVAT HORA VELOX quasi diceret si ita est deciperis (48) NAM ETSI RARA EST MANENDI FIDES id⁵³ est licet aliquando sed raro sit manendi fides⁵³ FORTUITAS TAMEN ULTIMUS

 48 in felicitate J / 49 in rebus humanis non inuenitur PO non inuenitur in rebus humanis R non inuenitur in illis J / 50 fortuita RP fortuna JO / 51 debet se aliquis JO debet aliquis se RP / 52 ut pro uel PD ve pro uel J ue (in ras.) O ut scilicet R / 53 id est licet aliquando sed raro sit manendi fides (madi in mg. corr. J) JOD om. RP /

DIES VITE QUEDAM MORS EST FORTUNE ECIAM MANENTIS et ita nunquam simpliciter constans est quia aut sui mutabilitate deseret te aut tui mutabilitate deseretur a te, unde subdit (50) QUID IGITUR REFERRE PUTAS, TUNE⁵⁴ ILLAM DESERAS MORIENDO AN TE ILLA FUGIENDO ? quasi diceret nichil refert quantum ad constanciam uel permanenciam. Siue enim deserat siue deseratur, manifestum est quod permanere non potest.

[II m 3]

CUM POLO metrum tercium huius libri secundi quod est mixtum quia metrum primi uersus dicitur Saphicum a Sapha eius inuentrice. Constat autem primo pede trocheo secundo spondeo tercio dactilo quarto trocheo quinto trocheo uel spondeo. Metrum uero secundi uersus est Gliconium, de quo dictum est supra libro primo metro sexto. In hoc autem metro pluribus exemplis mundanam mutabilitatem describit. Et circa hoc duo facit. Primo enim mundanam mutabilitatem docet.¹ Secundo confidenciam fortuitorum dissuadet ibi (13) RARA¹ SI CONSTAT. Circa primum ponit tria exempla quorum

54 tune RPO ne tu J /

1 docet secundo confidenciam fortuitorum dissuadet ibi rara (raro D)
PD docet id est confidenciam fortuitorum dissuadet rara RJ <
docet et confidenciam fortuitorum dissuadet rara Q /